

tione clericci interficti nobis et ecclesie nostre facta quatuor libre nostre monete a malefactoribus et eorum amicis in moneta sunt assignatae de nostra voluntate ac consensu. Ex hiis unam libram, quam immediate tenebant a nobis filii quondam Arnoldi, Hermannus, Arnoldus, Theodoricus, Henricus, Johannes, resignaverunt in manus nostras, et Volcmarus et filius suus Henricus, Volcmaro jubente, fidejusserunt pro predictis pueris, quod, cum ad annos discretionis pervenerint, suum, ubi opus fuerit, plene exprimant consensum.

Item unam libram, quam tenebat Ekkehardus, filius quondam Johannis Marchionis, a Hugone de Insula in moneta, nobis presentibus, ipsi Hugoni resignavit, et idem Hugo nobis liberam dimisit. — Actum est hoc in claustro nostro superiori ante nostrum capitulum.

Alias etiam duas libras, quas Hildebrandus monetarius et filii sui tenebant a prefato Hugone similiter in moneta, in manus nostras resignavit in capitulo nostro, et ipse Hugo nobis eas libere dimisit, eis presentibus et consentientibus. Iotas tres et aliam quartam beate Marie contulimus ad ordinationem, que inde facta fuerat per arbitros communes capitulo et illorum, qui de clericci interfectione nocentes dicuntur, solvendas per terminos, quibus illi solvi consueverant, qui eas ante in feodo tenuerant. — Promisit etiam Hugo, quod de hac feodi sui refutatione rata ab heredibus suis tunc natis servanda daret ecclesie fidejussores sufficientes, ipso et aliis fidejussoribus pro hujus ordinationis complemento interim permanentibus in fidejussione.

Hujus rei testes sunt: Willebrandus major prepositus, Conradus decanus, Gevehardus, Hermannus, sacerdotes; prepositus Borchardus, Johannes Marcus, Conradus scolasticus, Hugo de Herst, Henricus de Tossem, diaconi; Albertus de Thoringessen, Reinoldus de Dasle, subdiaconi; Volcinarus de Foro, Helmoldus de Sancto Georgio, Conradus de Wethene, Henricus Acco, Giseco.

Ad hujus rei memoriam perpetuam habendam presens scriptum nostrum inde confectum sigilli nostri appensione